



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

334. Qvas partes seu actus particulares complectatur forma electionis per scrutinium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)



five sit Archi-Episcopus, five Episcopus, five alius Prælati, Rebuff. in praxi, tit. de devolutione num. 18. Pirh. ad tit. de Elect. num. 350. citans Abb.) uti adhuc hodie dum Salisburgensi tanquam Metropolitanano subiectos esse aliquot Episcopatus Germaniæ, quod accipiendam ab eo confirmationem testatur Laym. ad cit. c. ne pro defectu. n. 6. dum interim specialiter in Germania jus confirmandi Episcopos electos à Canonicis Cathedralibus sibi reservavit Papa Nicolaus V. in concordatis Germaniæ, ad 6. que, si in eorum electione committatur negligentia ultra terminum, ea devolvitur immediate ad Papam, qui dein Superior immediatus intra terminum præfixum aliis ordinariis Electoribus, scilicet intra tres vel sex menses, tenetur providere Ecclesiæ, eligendo aliquem ex gremio eisdem Ecclesiæ, si adest, idoneo, aliàs ex alia Ecclesiâ assumendo idoneum. c. ne pro defectu. Pirh. num. 251. Quod si hoc negligat, devolvitur provisio ad alium Superiorem, & sic successivè usque deveniatur ad Papam, c. quanquam. h. t. in 6. & Gl. fin. ibid. Clem. unica. de suppl. neglig. & ad cit. c. ne pro defectu. AA. communiter.

2. Quod si tamen Superior elegerit vel providerit, sed electio vel provisio ab eo facta ex quavis causa fuerit reprobata, vel ab eo provisus noluerit consentire, aut post consensum renunciavit juri suo, mox potestas eligendi revolvitur ad eosdem Electores, & ita quidem, ut integrum iterum tempus, nimirum trium vel sex mensium, iis de novo concedatur. Gl. in c. si electio. h. t. in 6to. Pirh. loc. cit. num. 46. hi enim ob negligentiam eligendi intra tempus statutum privantur electione solum prima & una illa vice. Pirh. loc. cit. Castel. c. 6. n. 7. Pass. cit. c. 13. num. 40. qui etiam num. 41. bene monet, quod (cum devolutio electionis sit poena lata contra negligentes eligere; non verò contra eligentes defectuose) dum electio, quæ de cætero adhuc dici potest canonica ex eo, quod facta à majore ultra medietatem parte, cassatur tamen ob defectum aliquem in ea commissum, aut ob aliam causam, v. g. ob occultum vitium electi, quod post factam electionem prius innotescit, ea non devolvatur ad Superiorem; sed spectet ad eosdem Electores de novo eligere, nisi defectus sit talis, ob quem Electores sint jure privati ad eligendum de novo, concessio iis iterum de novo toto tempore (quod idem dicendum, ubi electus non consensit, vel post concursum renunciavit, vel mortuus est ante confirmationem) 3. vel 6. mensium; modo tamen nihil sit factum ab Electoribus in fraudem, veluti si paulò ante trimestre, vel semestre elapsum de industria eligerent aliquem, quem sciunt non consensurum, ut vel sic diutius vacet ecclesiâ; tunc enim electio spectabit ad Superiorem. c. si electio. Pirh. loc. cit. Secus tamen est, ubi electio evidenter non est electio; v. g. dum quis nominatus est non à majore supra medietatem parte (quod ipsum factum fuisset, si extranei notoriè, & sine ulla tergiversatione non admittendi admissi fuissent, & ratione horum votorum computatorum nominatus quis fuisset etiam à majore parte; ita ut demptis eorum votis, non habuissent majorem partem votorum supra medietatem) tunc enim si electores intra præfixum terminum non progrediantur ad aliam electionem, ea devolvitur ad Superiorem.

\* \*

Quæstio 333. An electio fieri possit de nocte? nomine noctis; juxta Sigism. dub. 17. n. 1. Peyr. in subd. q. 1. c. 31. q. 7. Lavor. c. 18. n. 11. Pass. n. 48. &c. intelligendo tempus tenebrarum, in quo sine candela videri non potest?

1. Respondeo primò, ex rationabili causa id fieri posse. Sigism. loc. cit. n. 3. Lavor. loc. cit. Rodriq. tom. 2. q. 52. a. 15. Miran. tom. 2. q. 23. a. 12. Pass. n. 49. citans plures alios.

2. Respondeo secundò: in casu, quo electores in die non concordaverint; unde ex scrutinio nullus nominatus fuerit à majore parte, posse continuari electionem, etiam de nocte, tenent iidem AA. cum aliis apud Pass. n. 54. contrarium sentiente Pirh. loc. cit. n. 253. nimirum electionem inchoatam de die non posse nocte absolvi, sed debere die sequenti perferri, nisi ubi est periculum in mora, Argumento c. in causis. h. t.

3. Respondeo tertio: de cætero sine causa haberi non posse electionem de nocte, saltem ubi servanda est forma scrutini, tenet communior, ita ut licet ea habita de nocte non sit irrita, rescindi tamen possit & irritari per sententiam Judicis, tanquam facta non canonicè. Laym. in cit. c. in causis. n. 6. Pirh. loc. cit. cui tamen sententiæ se assentiri non posse, ait Pass. n. 50. eò quod neque munita sit lege ullà prohibente eligere de nocte; neque firmà ratione, neque magnopere auctoritate. Non enim primò ex hoc dici posse clandestinam; cum clam fieri verificari nequeat de actu, qui sit coram omnibus interesse habentibus. Felin. in c. consultis. de off. deleg. n. 20. & ita, ut sciri possit ab omnibus, quos lex posse scire decernit. Nec secundò dici posse, requiri solis, & non sufficere lumen candelæ ad eligendum per scrutinium secretum; cum in tali electione nihil fiat, quod ad lumen candelæ commodè perferri nequeat; sufficit enim Electoribus ad cognoscendum se invicem, ad numerandum, num omnes adint, ad schedas à singulis seorsim scribendas, ad eas in urnam mittendas; Scrutatoribus verò ad eas recipiendas, legendas, numerandas, quanquam commodius & melius hæc fiant ad lumen solis: Ad hæc in aulis Regum & Congregationibus Ecclesiasticis sæpissimè de nocte tractentur & definiantur optimè, etiam per vota secreta, negotia gravissima: Ac denique Abb. Felin. aliique AA. citati in oppositum loquantur ferè de electione clandestina, qualis non est omnis electio nocturna. vide de hoc Pass. n. 52.

## PARAGRAPHVS IX.

## De constituendis Scrutatoribus, secreto, &amp; modo scrutini.

Quæstio 334. In genere, quas partes seu actus particulares complectatur forma Electionis per scrutinium?

Respondeo sequentes: Primò scrutinium ipsum seu secretam suffragiorum collectionem, factam per aliquos à Capitulo ad hoc deputatos, qui dicti exinde Scrutatores, quod aliorum vota exquirant & scrutentur. Secundò scrutini publicationem. Tertiò suffragiorum collationem. Quartò decre-



tum capitularis seu communis electionis, ejusque promulgationem. c. quia propter. h. r.

**Quaestio 335.** An, cum in c. quia propter dicatur: assumantur, qui vota colligant: sit q. haec assumptio de substantia electionis, ut cum communi tenet Pass. c. 16. n. 2. citans Abb. ad c. quia propter. n. 12. Suar. tom. 4. de religione. tr. 8. l. 2. c. 8. n. 4. & c. An inquam repugnet huic textui, & hinc Electio non sit valida, si qui vocalium non assumpti, seipso ingerant muneri scrutatorum, vidente & tacente reliquo Capitulo?

**R**espondeo: licet de hoc dubitent plures, Suar. loc. cit. Tamb. tom. 1. d. 5. q. 6. n. 4. Lavor. rit. 4. c. 19. n. 45. ed quod redderent se suspectos, & praesumi posset, eos id agere per potentiam aliis invite tacentibus; si tamen id fieret in casa, ubi attentis circumstantiis cessaret haec suspicio & praesumptio non repugnaret dicto textui; cum vel tunc implicitè assumantur ad hoc officium. Abb. l. cit. Pass. loc. cit. n. 4. Barb. de jure Eccles. l. 1. c. 19. n. 189.

**Quaestio 336.** A quo de cetero scrutatores sint assumendi?

**R**espondeo primò, fieri posse, ut certa persona ad hoc designata sint ex consuetudine, statuto, vel lege, v. g. seniores ex capitularibus, in tali vel tali officio constituti, vel in tali dignitate. Suar. loc. cit. Pass. n. 6. non obstante cit. c. quia propter, dum id statuendo, ut Electoribus praesentibus assumantur Scrutatores, videtur elegerisse praesentium Electorum industriam & prudentiam ad examinandum, qui fide digni sint, & huic muneri apti, cum examen illud insufficienter sit suppletum à constituentibus talem consuetudinem, vel statutum; merito enim sine haesitatione praesumuntur digni fide & capaces, qui à lege ad hoc munus assumuntur. Sed neque hac ratione excludatur praesentium Electorum tacitus consensus, dum, si justè suspectos habent à lege designatos, possunt contra illos opponere & excipere. Adde, quod citatus textus non dicat expressè, scrutatores assumendos à Capitulo, sed tantum praesente Capitulo, adeoque non sit contra illum, quod scrutatores assumantur à Superiore. Suar. loc. cit. Pass. n. 8. qui etiam addit n. 9. quòd, si unus è scrutatoribus à lege designatis habuerit impedimentum aliquod, v. g. sit caecus, vel decumbat infirmus in suo Ordine non subintrare antiquiorem, post illum; sed alium eligendum in ejus locum: uti n. 15. idem admittit, dum is, ad quem spectat, praesens in Capitulo & electione renunciat officio scrutatoris; dum verò is, ad quem spectat ratione senii esse scrutatorem, simpliciter absens est à Capitulo, non esse locum electioni pro novo Scrutatore, sed tunc subintrare in ejus locum seniorem ex praesentibus, ed quòd talis absens non est Elector impeditus à scrutando, sed habendus pro extraneo & non vocali.

**2.** Respondeo secundò: de cetero scrutatores constituendi sunt saltem (Pass. enim & alii requirunt suffragia majoris partis supra medietatem) per majorem partem Capituli. Castel. de Elect. c. 12. n. 3. tr. 16. n. 7. Pass. n. 8. & Suar. loc. cit. cum communi.

\* \*  
\*

**Quaestio 337.** Qualiter Scrutatores sint assumendi?

**R**espondeo primò, esse assumendos vià electionis; hoc enim satis declarat textus, etsi in genere dicat assumantur, dum dicit assumendos ab Electoribus omnibus, qui debent, volunt & possunt commodè interesse, collegialiter convenientibus, seu legitime congregatis, sicut ad omnem alium tractatum capitularem requiritur; ubi namque assumentes sunt multi, & assumptio fieri non potest, nisi multis consentientibus, aliter fieri nequit, quam per electionem. Suar. cit. l. 2. c. 5. n. 2.

**2.** Respondeo secundò: in hac tamen electione necessariò servanda non est forma c. quia propter, cum isti forma subdatur sola electio Praelatorum, & ne, si pro electione scrutatorum assumendi essent scrutatores, detur processus in infinitum. Suar. loc. cit. n. 7. sed poterit fieri per vota publica, vel scrutinium publicum, dum singulorum vota, quos velint esse scrutatores, pateat inquiruntur, vel etiam per compromissum in unum, vel plures, ut illi nomine omnium scrutatores assumant, Pass. cit. c. 16. n. 11. Pirh. de Elect. n. 162.

**Quaestio 338.** Unde assumendi sint Scrutatores?

**R**espondeo: ex Collegio Electorum. Abb. in c. quia propter. n. 13. ex Innoc. Host. n. 11. & dicitur signanter ex Collegio Electorum; datur siquidem quandoque, ut videre est apud Regulares, distinctum Collegium Ecclesiae, seu Conventus, in quo omnes professi habent votum ad tractanda negotia Conventus, qui tamen non omnes sunt de Collegio Electorum. Pass. n. 16. Porro hoc ipsum esse de forma electionis, ita ut, si assumptus fuerit in scrutatorem extraneus, electio sit nulla, tenent Innoc. Abb. Host. Imol. Butrio apud Pass. loc. cit. Barb. ad c. quia propter, n. 14. referens plures alios. Suar. loc. cit. n. 8. Sigism. dub. 19. n. 1. contra Gl. in c. quia propter. v. senior. cui faver Pirh. n. 163. ex eo, quòd sicut de communi consensu Electorum admitti possint ad coeligendum extranei non laici, etsi electio de jure communi spectet ad solos, qui sunt de Collegio; ita etiam ad habendum scrutinium. Ubi etiam testatur usu receptum in pluribus Germaniae ecclesiis, quòd assumantur extranei in scrutatores; etsi addat contrarium esse rarius, & posse ex hoc capite irritari electionem. Ubi tamen extraneus consuetudine legitime praescripta obtinisset jus eligendi, posse eum eligi in scrutatorem, tenent Boer. & plures alii apud Pass. loc. cit.

**Quaestio 339.** Quot assumi debeant & possint scrutatores?

**R**espondeo primò: non pauciores quam tres, ipsa expressum cit. c. quia propter. unde id ipsum esse de forma Electionis, pro certo tenent Mirand. p. 2. q. 23. n. 15. Lavor. c. 19. n. 46. & DD. quaest. praeced. cit. ita etiam, ut si contingat aliquem è scrutatoribus impediri, non possint unus vel duo scrutari vota, sed necessariò alius eligi debeat; cum forma praescripta in textu impleri debeat, quantum potest. Innoc. Abb. Bald. in c. quia propter. Biax. p. 3. c. 23. Sigism. dub. 21. n. 2. Pass. n. 20.

**2.** Nihilominus ubi Electores sunt pauciores, quam quatuor, forma illa cap. quia propter. ita ad amissum servari non potest; uti in hoc casu, ubi

tres